Falsitas narrationis de electione Stanislai Leszczynii et Augusti III. a quodam Equite Polono demonstrata.

FALSITAS NARRATIONIS

De Electione *Stanislai* Leſzczynii

&

Sereniſſimi atque Potentiſſimi Domini.

DOMINI

AUGUSTI III.

DVCIS & Electoris Saxoniæ in Regem Poloniæ Magnum DVCEM Lithvániæ &c. ad faciendam utriuſque Electionis Paralellam in publicum ſparſæ, à quodam Equite Polono demonſtrata.

252

INter alia scripta, si tamen sic dici merentur, quibus partium STANISLAI sequaces, Famæ Magnorum in Republica Virorum injurij, & quod pejus est manifestæ veritati reluctantes, pessimam causam suam hactenùs commendare annisi sunt, quò ignaros rerum, quæ proximè actæ sunt, perniciosis tranquillitati publicæ opinionibus inficerent, benè pro Republica sentientes pessimis consiliis suis involverent, aut saltem eos, qui jam in reprobum sensum dati sunt, ne resipiscant, obfirmarent: prodiit nuper quædam narratio Typis Gedanensibus evulgata, quâ in laudem operis, quod malè successit, impudenter liberales, PseudoElectionem STANISLAI, non qualis re ipsâ fuit, sed qualem fuisse decebat, prolixô quidem, sed ab omni veritate prorsùs alienô sermone, præsentium calamitatum authores sibi male conscij deprædicant; è converso autem in libera legitima & concordi Electione Serenissimi AVGVSTI III, REGIS quosdam defectus, rigidi censores malitiosè fingunt, ac ineptâ utriusque Electionis paralellâ, seù comparatione, suam summis encomiis extollentes, nostram protervè damnant.

QVò itaque hujus judicij iniquitas, unicuique faciliùs pateat, operæ pretium est, ut quæ in utraque Electione acta sunt, breviter recenseam, ac veriori narratione, rei aperta mendacia confundam; non quòd veritas hisce adminiculis egeat, ut quæ ipsa sui vindex est; aut quòd Clementissimi REGIS Nostri Thronum, quem justitia & Populorum amor inconcussum tutatur, exigua hacce oppella ad-

254 versus folium, quod ventô rapitur, imbecillesque factiosorum capitum conatus propugnare prætendam, sed quæ vidi & audivi, imò quæ authenticis documentis, & irrefragabilibus testimonijs probari possunt, ipsemet genuinè, & pro rei veritate ideò enarranda suscepi, ut boni Civis partem hac in re adimplerem, ac quantum in me est, mendacio inoffensum progressum non permittens, eos, qui seducti sunt, ab errore revocarem.

STatim post obitum Serenissimi AVGVSTI II. Regis veri Patris Patriæ, immò ipsâ fermè die qua Idem gloriosissimæ memoriæ REX Noster desideratissimus, ingenti Reipublicæ damnô, ad meliorem vitam transiit, nemo non videbat, quantum Celsissimus ac Reverendissimus Dominus *Theodorus Potocki* Archiepiscopus Gnesnensis Primas Regni addictus esset *Stanislao Leßczynio* ob veterem amicitiam, & sanguinis nexum sibi conjunctissimo, cui quò certiorem viam ad Regium Poloniæ Diadema pararet, nihil intentatum reliquit; Amicos Magnificis promissis; Æmulos ultrò oblatâ amicitiâ; opibus & authoritate in populo potentiores, insolitâ humanitate; Clientes obtemperandi necessitate; Inferiores demùm persuasionibus, authoritate & affabilitate (quam Gens nostra in Principibus Viris maximè respicit) callidè temperatis, inducens, alliciens, cogensque quatenùs pro *Stanislao* sentirent. Decebat sanè primæ dignitatis in Republica Virum, cujus præcipuum munus est, Legum promovere observantiam, ut in hoc tristi rerum Statu, cor animumque ab omni privato studio integrum, Patriæ suæ Bono servâsset, quin etiam alios Concives monuisset & compesceret, si contra Patrias Constitutiones aliquid attentare ausi fuissent, ejusdemque Patriæ felicitatem in concordi Electione REGIS à voluntate Divina, quam consensus Populorum sequitur, cum omni indifferentia expectâsset: Sed peccatis nostris justam iram DEI merentibus, secùs factum esse conspicimus, siquidem Celsissimus Primas Regni curas suas non publico bono, ast privatis commodis impendens, vanis remonstrationibus utilitatum, quæ ex Electione *Stanislai* in Rempublicam redundare possent, suppressis autem periculis, quæ ob graves, & manifestas rationes ex Electione hujusmodi nobis immi-

nerent, Candidati sui partes auxit, simul ac mala, quibus nunc affligimur invexit; Non latebat vicinos Principes quantum Primas Regni credulitate Concivium suorum abuteretur, unde monebatur a Ministris eorum, quò sibi à passione Reipublicæ exitiosa, & quæ inevitabile bellum toti Europæ aliquando inferret tum præsertim temperaret: Sed cùm halce remonstrationes quantumvis amicas, ad *Stanislaum* referri sentiebat, ceu jam jure victum, & in ævum ineligibilem, sat imprudenter regessit, hunc se velle, hunc demum exoptare, ac si diceret, occidat modò imperet. Iam ergo bellum, & Patriæ ruinam respirabat, ut ambitionem suam, suique Candidati coronaret.

COmitia *Convocationis*, illa videlicet, in quibus Status & Ordines Reipublicæ tempus Electionis Regis designant, securitati internæ, & externæ prospiciunt, aliaque necessaria constituere solent, in diem 17. Aprilis Anno 1733. authoritate Primatiali, ut solet, indicta, longè aliter quàm Paralellarius Gedanensis narrat, præpotenti factione Primatiali, ad suos fines cuncta disponente, habita fuisse, notorium est. Etenim in consessu Nuntiorum, electô Mareschalcô Equestris Ordinis, Directore ejusdem Amplissimi Cœtus, concessa quidem erat aliqua libertas sentiendi, & dicendi Nuntijs Palatinatuum, & Terrarum, disserebantque ad mentem instructionum suarum claré & securè contra propositam exclusionem Externorum, deducentes, quòd nihil operetur, quandoquidem nec voluntatem, nec desiderium externis Principibus tollat, nec facultates, & vires adimat, quò minùs Coronam nostram exambire possint, Legibus quippè nostris ut pareant nullatenus obstricti. Prætensum quoque Iuramentum exclusivum publicè detestabantur, deducentes, juramentum debere esse de re certa, licita, de meliori bono, & non in præjudicium alicujus, libertatem non limitans, neque legibus, quæ Electionem illimitatam esse volunt, contrarium; probantes insuper ante actis, ejusmodi juramenta rarò aut nunquam servata fuisse, immò quod nostrô ævò p. m. Eminent: Cardinalis Radziejowski Primas Regni juramentum in Comitijs Regni Anno 1703. Lublini celebratis, Varsaviam redux violavit. Hæc & similia disse-

rentes, quamvis à factione Primatiali interdùm acerbiùs arguerentur, utcunque tamen in consessu Nuntiorum audiebantur, Ast ubi eo ventum est, ut Nuntij Palatinatuum cum Senatu conjunctionem de more fecissent, longe alia rerum facies apparuit; nihil enim libertati profuit Patrum Conscriptorum authoritas, ipsumque libertatis præsidium quod est *Liberum Veto* illis Comitiis quodammodò proscribi videbatur, Legum denique auxilia, ceu jam invalida frustra invocabantur, adeò ut vix vel vestigium veteris illius Reipublicæ observâsses. Quandoquidem Nuntiis nulla dicendi libertas dabatur, dicentes concitato clamore impediebantur quò minùs audirentur. Illi autem, qui prætensi Iuramenti nullam esse utilitatem disertè asserebant, contumeliosè habiti, pugnisque contusi obmutescere cogebantur, verentes, nè quod insolentia minabatur, ex alto præcipites agerentur. Nec majorem Senatoribus tàm Spiritualibus, quàm Sæcularibus reverentiam sui impotens factio exhibuit, ut quos silere protervè jubens, super rem non existentem & incognitam, non datô deliberationi locô jurare coegit: idemque Iuramentum de non eligendo Extraneo, immò etiam excludens Patriotas, quorum plurimi, quia magnam inter Concives æstimationem habent, ideò, quod in ditionibus externis possessiones haberent, ab omni spe acquirendi Coronam, removebantur, ex sententia sua conceptum (antequam Projectum Comitiorum Convocationis formatum esset, quod primum esse debuit) etiam Nuntios quantumvis reluctantes explere compulit; quò videlicet angustioribus terminis indefinitam hactenus Electionis libertatem coarctaret: Cui tamen Celsissimus Dnus Ianussius Dux *Wisniowiecki* Castellanus Cracoviensis zelosissimus Patriarum Legum assertor, subitò ac conjunctio Nuntiorum cum Senatu facta esset, per expressum caverat, ne scilicet in hisce Comitiis aliquid statueretur, quod antiquis Legibus, præsertim tempore Sigismundi III. & Michaelis Regum sancitis præjudicaret, sed hæcce admonitio gravissimi in Republica & Primi in Ordine Sæcularium Senatoris, suis opinionibus infascinatos non commovit, ut intelligerent, & saperent. Expeditis juramentis ægrè obtineri poterat, ut Projectum Convocationis, potiùs verò Confœderationis Generalis publicè præle-

prælegeretur, quia autem ex arbitrio factionis Primatialis scriptum erat, jam ideò vim legis obtinuisse censebatur, frustra petentibus Nuntijs, ut quæ ipsis perperam inserta esse videbantur, pro munere suo indicarent, aut saltem ex voto Fratrum adjungenda exponere liceret; Cùm autem lectio Projecti continua interpellatione Nuntiorum impediretur, promissum, tandem erat ab Illustri Massalski Mareschalco Comitiorum, integrum unicuique fore, quæ è Republica videntur in medium proferre, seque omnibus dicendi veniam daturum; sed finitâ lectione Projecti; Experti sunt Nuntij quàm turpiter ipsis cum injuria publicæ Fidei illusum sit, siquidem expetitam pluries libertatem dicendi, factio Primatialis incondito clamore strepituque impediens, ad subscribendum his quæ præpotenter, & imperiosè dictaverat, cum jugi oppresione liberæ vocis impulit: Cujus violentiæ testes sunt frequentissimæ subscriptiones Senatorum, & Nuntiorum, quibus certæ præcautiones, quas *salvas* vocant, passim adnotatæ leguntur.

Hôc modô finita Comitia Convocationis, sequebantur privati Conventus Palatinátuum, qui *Relationis* dicuntur, eò quòd Nuntij obligentur Fratribus referre, quæ in Comitijs Generalibus acta gestavè sunt. In his deinde Conventibus non eôdem ubique animô Acta Convocationis audiebantur, erant quippe, qui violenta consilia reprobarent, & quibus placerent, præsertim factioni Primatiali addictis, vel quibus spes utilitatum ex Electione *Stanislai* literis Primatis Reipublicæ appromissa, vana utique arridebat. Reliqvum temporis, quod á Convocatione ad Comitia Electionis supererat, impendebat Celsissimus Primas pro lucranda popularitate favore *Stanislai* sui, ut in quo capacitatem, authoritatem, & validitatem cæteris Polonis superiorem, cum gravi injuria Gentis, se observâsse fatebatur, ac si ipsi soli datum esset videre, quod alij non viderent, vel quòd ab arbitrio, & judicio solius Primatis sors regnandi dependeret, nec haberet Polonia Viros seu Nobilitate generis, seu præstantiâ meritorum pares *Lesczynio* vicinis Potentijs inviso, quia Polono Sceptro in perpetuum inhabili publica lege declarato. Ita demum Candidato suo Primas Regni malô nostrô adhæsit, ut amicas remonstrationes Ministrorum & Ablegatorum Poten-

tiſsimorum in Europa Principum; nè fortè *Stanislaum* ad Thronum promoveret, præcaventium, indignè rejecerit, nec publicam audientiam, quò deſideria Principalium ſuorum Ordinibus exponerent, conceſſerit: multò minùs autem Reipublicæ communicaverit, quæ nomine Principum Vicinorum intuitu Electionis poſtularent. Iuvat hôc locô meminiſſe providi Majorum noſtrorum conſilii, quod in Actis Interregni de *Henrico Valeſio* Rege deſcriptum, tunc omnino imitandum erat. Habuit tunc Reſpublica Viros Natalium ſplendoribus, prudentiâ, opibus, & authoritate in Populo præpollentes, è quorum numero Ioannem Koſtka Sendomirienſem & Andream de Tenczyn Belſenſem Palatinos, ad Thronum evehi plerique exoptabant; exorta tamen diſſenſione in Comitijs Electionis mutârunt conſilium pretiô pacis & tranquillitatis publicæ, Regnique faſces alicui Archi-Ducum Auſtriæ jam jam deferebant: interim dum hoc fine omnia diſponerentur, advenit ab Imperatore Turcico, non aliquis cum charactere repræſentativo inſignis Legatus, aut primariæ diſtinctionis Miniſter, ſed ſimplex Emiſſarius, quem Turcæ *Czauß* vocant, monendo Ordines, ut ab Electione Auſtriaci ceſſarent, niſi bellum ſibi inferri mallent. Hæc quantumvis imperioſa, & Majeſtate Reipublicæ indigna eſſent, meruerunt tamen providam reflexionem Majorum noſtrorum, quia excluſionem ab Ethnico Principe factam, æquè tulerunt, nè Patriam exitioſo bello exponerent. Aſt in præſenti caſu, non eadem publici periculi ratio, nulla oppoſitionis Chriſtianorum Principum conſideratio, ac diverſa longè ſacri Legatorum Characteris æſtimatio Celſiſsimo Primati fuit. Qui vel ideò inſtans periculum ab Ordinibus Regni ignorari, aut non credi volebat, nè fortè maluiſſent eligere Regem, ſub cujus imperio ſecuri, tranquilli, ac felices viverent, quàm *Stanislaum* malorum, quæ jam patimur cauſam. Vidimus utique quàm indignè habiti fuerint, quicunque certam notitiam attuliſſent de adventu Exercitûs Ruſsici in Lithvaniam, cùm ceu impoſtores contumeliosè repulſi, tanquam conquiſita inſtrumenta ad avertendum animum à Candidato Primatiali Electoris Populi alto ſupercilio deſpicerentur. Horum relationes veriſsimas, nova in dies commenta, in Palatio Primatis ſtudiosè evulgata ſupprimebant,

ut

ut quibus Authocratricem Rufsiæ, Afiatico vel Civili bello impeditam, noftris rebus vacare non poffe, vel alijs ex rationibus, quæ fictoribus in promptu erant, Copias fuas à finibus Reipublicæ revocâffe, rerum ignaris imponebatur. Nec deerant, qui hos, fimilefque rumores, pro re verifsima venditarent, ac fabulas in conclavi Primatiali malitiosè confictas, tanquam authenticas, & è longinquo allatas, fibi mentientes, affecurarent. Notorium præterea eft, Celfifsimum Primatem (quò magis inftans periculum celaret) quotiefcunque Miniftri Exranei fecretiùs infinuatô Principalium fuorum defideriô in puncto obfervantiæ Legis, & Conftitutionum de anno 1710. 1717. & 1718. recefsifsent; aliud longè, quàm illi dixerant, compofito ad lætitiam vultu, in publico protulifse, nempè quòd Principes hi, prætenfæ Electioni jam affentirent, nihilque fupereffe quod a potentia eorum Refpublica metuat. Quod deinde commentum ad decipiendum Electorem Populum, fuifque involvendum artibus, pefsimé inventum, authoritate Legati Gallici mirum in modum adjuvabatur: præfertim cùm is, afferere non dubitaret, quòd *jam* intercefsiffent pacta, quibus Cæfar, & Rufsia, Regi Chriftianifsimo promittebant, non impedituros fe Electionem *Stanislai*: Ita ut Miniftri harum Potentiarum cogerentur priores infinuationes fuas, tam oretenus quàm in fcripto repetere, ac dolum Gallici Legati publicè arguere.

VEnit tandem terminus Electionis per Comitia Convocationis defignatus, in quo comparuit numerofifsima Nobilitas ex omnibus Provincijs, & Palatinatibus, Regem fibi electura, non quem ambitio præpotentium obtruderet, fed qui liberis fuffragiis, ac concordibus Civium votis, fcilicet nemine contradicente, hoc faftigio dignus cenferetur. Comitia illa ab Electione Marefchalli Equeftris Ordinis, de more Gentis cæpta funt, & colligebantur fuffragia, non fine contentione, quam divifa ftudia Competentium excitabant; Interim dignitas hæc Dño, Radzewfki Succamerario Pofnanienfi, affinitate, & prioribus obligationibus *Stanislao* maximé addicto, pluralitate votorum delata eft, plurimùm annitente Primate, nè videlicet tam valido Adminiftro factionis violentæ deftitueretur. Eo fucceffu factio Primatialis longe fero-

gè ferocior; *Stanislaum* Regem appellavit priùſquam eli-geretur, omnique ſpecie libertatis, quam hactenus utcunque ſimulaverat, remota, Principem liberæ Genti imperiosè imponebat, quem tamen non niſi omnibus conſentientibus Sceptrum capeſſere jura Noſtra volunt. Mox crimen erat, morte expiandum, ſi quis, præter *Stanislaum*, alium Candidatum expetiiſſet; eò quòd vix aliquando tribus, aut duobus minùs Diadematis ſui Competitores Reſpublica habuit, vel quòd ipſum Electionis vocabulum, plures Candidatos præſupponat: unus enim ille, quem jam in Confœderatione Sendomirienſi Ann. 1704. ejuraverat, Celſiſsimo Primati ſufficiebat. Longè demum periculoſiùs ſuadere, nè prætenſa Electione fata Reipublicæ præcipitarentur. Eoque res devenit, ut nec Senatores, nec Nuntii, qui factioni ejus ſuſpecti erant, eò quòd pro libertate Electionis ſentirent, aut dicerent, ad *Szopam*, & intra vallum venire poſſent ſine manifeſto diſcrimine honoris, & vitæ: cùm præſto eſſent, qui vel maledictis impeterent, vel apertâ vi ex nutu Primatis, inſontes opprimerent. Ac ideò aliqui Palatinatus Lithvaniæ, priuſquam Campum Electoralem accederent, miſsis ad Primatem Legatis, ſecuritati ſuæ præcavebant, proteſtantes ſimul, de nullitate eorum, quæ cum præjudicio Legum, aut oppreſsione *liberi veto* attentarentur.

HÆc rerum facies erat, cùm Celſiſsimus Princeps *Wisniowiecki*, Supremus Magni Ducatûs Lithuaniæ Cancellarius (quem Paralellarius Gedanenſis ex occaſione privatæ diſſenſionis Pragam abiviſſe fingit) indignatus, quòd tam audacter avita Libertas jugularetur, *Szopa* excederet, atque Pragam ſe conferret, quò remotior eſſet à tam triſti ſpectaculo, cui exhibendo, Celſiſsimus Primas jam ſe accingebat. Iram magni in Republica Viri hujus, exacuit levis cuiusdam hominis audacia; is enim de ingreſſu Copiarum Ruſsicarum Ordines pro debito ſuo monentem, publicè inſimulare non erubuit, ac ſi ipſe Princeps invaſionis author eſſet. Fabula Primati gratiſsima, mox publica fuit; factione ejus malè inventam, ſtudiosè propalante: gravia deinde ſcommata in Principem petulantiùs dicebantur, jamquè vis imminebat malitioſè delato, quæ cuidam familiari, à factioſis inferebatur;

tur; ita ut *Wiśniowieccius* sibi suisque a malè composita multitudine metuens, protestando de ejusmodi oppressione *Szopam* desereret. Abeuntem sequebantur Amici, Civiumque numerosæ Cohortes, quibus æquè acerbum erat oppressam Electionis libertatem, violata jura, Legesque videre.

COmmentum illud de cointelligentia Cancellarii Lithvaniæ cum Russis, mox omnibus, qui pro *Stanislao* non sentirent, affingebatur, Primate causam mali, ob protervìam suam ingruentis, in alios sollicitè reiiciente: Vnde addictos factioni suæ incitavit, ut ab omnibus testimonium exigerent, quòd nec directè, nec indirectè invasionem Russorum sollicitârint. Nemo erat qui tali testimonio subscribere recusaret: ipso duntaxat Celsissimo *Lubomirski* Sacr: Rom. Imp: Principe Palatino Cracoviensi inferente; quòd propositioni hujusmodi assensum suum daturus esset, dummodò pariter adjungeretur, Gallorum, Svecorum, Turcarum, & Tartarorum auxilia à nemine sollicitari. Consilium id zelosissimi libertatis Assertoris, eò quòd Primati minùs conveniret, quidam è factiosis (quorum ingens numerus Curules Procerum pro libertate Electionis sentientium obsidebat) acerrimè redarguit, petulanter subjungens, ejusmodi propositionis Authorum capita, falcibus demetenda esse. Ad quæ Palatinus, Vir animi omni periculo superioris, falces Agricolis relinquendas, ut quæ in *Szopa* Consessui Amplissimi Senatûs destinata, nullius usui essent, gravi sermone respondit: atque contra oppressionem libertatis, cui nec Legum, nec Senatûs Authoritas aliquo præsidio erant solenniter protestatus, illicò *Szopam* reliquit, & Pragam abivit. Mox eò advenêre Celsissimi, Reverendissimus, Illustrissimi ac Excellentissimi Domini *Hosius* Episcopus Posnaniensis, Princeps *Wisniowiecki*, Castellanus Cracoviensis, *Oginski* Trocensis, *Szoldrski* Iunivladislaviensis, Princeps *Radziwil* Nowogrodensis, *Sapieha* Podlachiæ, *Czapski* Culmensis, *Zaba* Minscensis, *Potulicki* Czerniechoviæ Palatini. *Skarbek* Lanciciensis, *Zaba* Brestianensis, *Lazowy* Mscislaviensis, *Dunin* Radomiensis, & *Zakrzewski* Santocensis Castellani. Princeps *Sangusko* Mareschallus Curiæ M. D. L. *Branicki* Vexillifer & Supremus Rei Armamentariæ Regni Præfectus, Princeps *Radziwill*

 Supre-

Supremus Stabuli Magni Ducatûs Lithuaniæ Præfectus, *Cetner* Præfectus Culinæ, *Rzewuski* Incisor, *Poninski* Instigator, *Szembek* Vexillifer Curiæ Regni, *Zawiβa* Ensifer, *Sapieha*, & *Tyβkiewitz* Notarij Magni, atque *Sedlnicki* Vice Præfectus Stabuli Lithuaniæ, Vdalricus & Albertus Principes *Radziwillij*, *Sapieha* Brestianensts, *Szoldrſcij* Iunivladislavienſes Palatinidæ, alijque, quos vel periculum vitæ à potentiori Factione comminatum, Varſavia emigrare impulit, vel quòd expirantis quodammodo Libertatis teſtes agere nollent. Longum eſſet omnium nomina, quos tum adverſùs præpotentiam Primatis ſanctiori fædere conjunctos Pragæ vidimus: ſufficiat dixiſſe; quòd conſiderata dignitate tantorum Procerum, atque frequentia Nobilitatis, magna certè pars Reipublicæ Pragam occupabat, ut jam nemo ſanæ mentis de aperta ſciſsione ambigere potuiſſet. Acceſserunt deinde Celſiſsimus ac Reverendiſsimus Epiſcopus Cracovienſis, Illuſtriſsimi *Małachowski* Opoczinenſis, *Męcinski* Vielunenſis, atque Mśćiſlavienſis Capitanei, cæterique innumeri, quorum præclara Nomina ſolemni Proteſtationi ſubſcipta leguntur, grataque celebrabit poſteritas. Nec ita cæcutiebat Primas Regni, quantumvis ardenti *Stanislai* favore infaſcinaretur, ut non vidiſſet molimina ſua, Pragenſium fortitudine, ſat potenter proſterni; totque Proceribus & Nobilibus contradicentibus, non poſſe, niſi in ſciſsione, *Stanislaum* nominari, quod cùm evitare conſultum erat, miſit aliquoties Delegatos, qui offenſos deprecarentur, peterentque, ut mutatô conſiliô ad Campum Electoralem redirent: precibus non deerat pondus, quod firmiſsimas mentes plerumque inflectere ſolet, ſed animus priſcæ virtutis tenax, non patuit doloſis precibus, pretiumque rejecit, maximo Reipublicæ bono, & Libertatis.

Ejuſmodi conſtantiam, ac cuivis fraudi impervium zelum, factio Primatialis contumaciæ arguebat, jamque Proceres & Nobiles, quò ab oppreſſorum tyrannide ſecuriores eſſent, in adverſo Viſtulæ littore Patriæ ſuæ providè conſulentes, & *Stanislaum* ſibi imponi renuentes, ceu excluſos à jure eligendi Regem reſpiciebat, ac quos nunc anxiùs, uti neceſſarios invitaverat, pro abſentibus reputari volebat. Hac itaque reſolutione accepta, quâ nempè libertas vetandi, inau-

dito

ditô à condita Republica exemplô, crudeliter supprimebatur, placuit Celsissimo Primati, ut Palatinatus è Castris evocarentur, atque sub Vexillis suis *Szopæ* propiùs accederent: quibus deinde, exceptis nonnullis, suo ordine dispositis, die 11. Septembris, Celsissimus Primas insedit equo, & magno amicorum clientumque suorum stipatus agmine, proficiscebatur, certè non animô colligendi vota in Regem, quem liberrimis suffragiis, nemineque contradicente eligere decet, sed animô imponendi, & sua authoritate nominandi *Stanislaum*. Siquidem nullô aliô Candidatô, quem Nobilitas indicari vehementiùs expetiit, pro natura Electionis propositô, unicum *Stanislaum* suum obtrudebat, nec auditô responsô Palatinatuum (quorum aliqui Principi *Wiśniowiecki* Castellano Cracoviensi suffragia sua contulerant, plurimi autem *Stanislao* simpliciter contradixerant) propinqua Electoris Populi Signa, festinans adibat, continuò acclamante numerosô comitatu *Vivat Stanislaus*: quò nec contradictio Nobilitatis, nec diversa à studio Primatis suffragia audirentur. Sequenti die Celsissimus Primas reliqvum circuli vitiosi, eôdem quô diximus modô perfecit, omissis tamen nonnullis Palatinatibus, quorum voluntatem sibi contrariam fore suspicabatur. Iam ergo Ipsa duntaxat Nominatio, consummando operi huic deficiebat, quæ nè forte cum scandalo, & nimis evidenti libertatis oppresione fieret (præsertim cùm Celsissimus Sacr: Rom: Imp: Princeps *Lubomirski* Palatinus Sendomiriensis solenniter protestatus fuisset, nullam ac invalidam Electionem fore, nisi priùs Confæderati Pragenses ad Campum Electoralem redirent, & liberis votis suis ad Electionem concurrerent) miserat Primas ad Protestantes Pragenses ex Senatu, Illustrisimos DD. p. m. *Szaniawski* Episcopum Chełmensem, atque *Podoski* Castellanum Płocensem, jam autem ex Equestri Ordine Magnificos *Poniński* Dapiferum Posnaniensem, *Peplowski* Succamerarium Podoliæ, & *Wolski* Vexilliferum Vilnensem cum invitatione ut adessent Electioni: pariter invitabatur Celsissimus ac Reverendissimus D. Episcopus Cracoviensis, Electioni *Stanislai* æquè contradicens, ad id tamen tempus Varsaviæ subsistens. Ast tædiosa fuit Dño Primati omnis expectatio, vicitque omnem rationem sui impotens passio ambitioni conjuncta: non expectato enim reditu De-

legatorum; imò cùm adhuc Pragæ verba facerent, nominavit *Stanislaum*, exitiosâ certè festinatione, eumque aliquot ante diebus Varsaviæ latitantem, per tumultuosas acclamationes factioni suæ addictorum, & repetitas explosiones machinarum bellicarum, Regem publicavit; priusquam verò Ecclesiam Collegiatam pro decantando Hymno Ambrosiano adiret, *Szopam* exuri mandavit, his ignibus fatale Civilis belli incendium inflammans. Interim eâdem ipsâ die Palatinatus, quorum libera vox non audiebatur, & contradictio despectui erat, è Campo Electorali, seu potiùs è tristi oppressæ Libertatis theatro Pragam adiverunt: ut in illa consiliorum, & doloris societate, veriorem Rempublicam, scilicet quæ libertate regitur, constituerent: Quidam autem cum Cohortibus suis domum redierunt, Actis publicis solennissimas Protestationes inferentes, authentica certè documenta impositivæ Nominationis Primatialis.

TAnta tum erat frequentia Procerum, & Nobilitatis in Campis Varsaviæ oppositis, quanta justum exercitum efficeret; utique *Stanislao* ipsi è fenestra Arcis prospicienti, admirationi simul ac terrori erat, quoties densa Equitum agmina, sub signis longè latèque ordinata, Reipublicæ consulere, ac tandem prætensam Electionem suam, ceu illegitimam, violentam, impositivam, & despoticam detestari videret, ac tum primùm quòd à Primate & Factione ejus Electionem unanimem fore promittentibus, deceptus esset, agnovit seròque doluit.

IAm veniamus ad Electionem Serenissimi AVGVSTI III. Domini Nostri Clementissimi justam certè & legitimam. Eventus probavit vana ac planè nulla fuisse commoda, quæ Celsissimus Primas Regni, ex Electione *Stanislai* promittebat, jam enim Exercitus Russicus suum inquirens hostem, Varsaviæ imminebat, nullatenus, ut paulò ante fingebatur, finibus Regni cessurus: itaque *Stanislaus* non securitatem adversùs ingruens periculum, atque inevitabilis belli incommoda, Legumque monstrosam læsionem (quorum ipse causa est) Reipublicæ providere, sed sibi suisque fugâ consulere, inter primas prætensi Regni sui curas habuit. Nè tamen

Ordinibus Reipublicæ abrogandæ usurpationi suæ, restituendæquè paci Pragæ sollicitis, authoritatem Comitiorum relinquere videretur, Acta eorundem nonnullis ex arbitrio suo statutis, rescindi voluit, & tùm demùm Gedanum abiit, Primate, Episcopo Plocensi, Principibus *Czartoriſciis*, Masoviæ, Marieburgensi, & Pomeraniæ Palatinis, alisquè nonnulis fortunam ejus eò sequentibus. Priusquàm tamen abiret *Stanislaus*, ut à clementia prætensum Regnum suum auspicari videretur, quindecim dierum inducias Ordinibus Reipublicæ Pragæ congregatis concedebat, quò se Regem agnoscerent, ejusque obedientiæ se submitterent, nisi pro hostibus Patriæ, & Rebellibus censeri mallent: mandata hæc humanitate, promissis, aliisquè artibus, quibus vel generosissimæ mentes patere solent, sat benè temperabat, sed nullo successu; siquidem strenuis Patriarum Legum, & libertatis Defensoribus, longè superior comminato periculo, vel promissa utilitate animus inerat, nec jugum, quod præpotentia Primatis paraverat, subire volebant, usurpationem *Stanislai* invicta fortitudine detestantes. Itaquè cùm nec precibus, nec minis, constantia Ordinum flecti posset, vi adigendos *Stanislaus* meditabatur, ut vel sic liberam Gentem suæ subiiceret dominationi: sed consilia hæc quantumvis secretiùs agerentur, non latebant Ordines, qui ut suæ providerent securitati, atquè fraterni sanguinis diluvium evitarent, aliquot leucis Pragâ, insperata resolutione abiverunt. Id cùm *Stanislao* innotuisset, subitò, & adhuc non elapso tempore Amnistiæ ab ipso propositæ, aliquot Cohortes militum suæ factionis abeuntes persequi, & hostiliter aggredi jussit, Fæderatis Pragensibus vim egregiè repellentibus, quàmvis tamen sat impedire non potuissent Aggressores, quominus cæsis aliquot Domesticis, ac gregariis Militibus, currus nonnulorum Procerum deprædarentur, vel abducerent. Hæc erat fides publica, prætensumquè Regium verbum *Stanislai*, quô Ordinibus ad se Accisuris amnestiam pollicebatur, hæc deinde observantia induciarum. Hostilitate illa inspectata certè, non minuebatur animus Ordinum, sed augebatur, quò firmiori vinculo adversis omnem potentiam coalescerent, convenirentquè *Vegrovia*, DEO justæ causæ

vindice, *Stanislaum* vel ob violatam publicam fidem præcipiti fugâ puniente.

REmanserant tum Varsaviæ, Illmi Kijoviæ & Lublinensis Palatini, malorum præsentium strenui cooperatores, qui tractis in partes suas aliquot Cohortibus militaribus, conductisque ære Gallico plurimis stipendiarijs, transitum Vistulæ impediebant, nè Ordines Reipublicæ ad priorem Locum, quô illos præpotentia Primatialis cedere coegerat, redire possent. Interim redierunt in tempore sex Septimanarum Comitijs Electionis præfixo, nondùm elapso, ac pleno jure, & legitima activitate usi, Actum Electionis Regis reasumpsêre. Nec dum Varsavia libera erat à Militia eorundem Palatinorum, cùm Ordines Pragam repetijssent, transitum Vistulæ majori vigilantiâ armati custodiebant. Horret animus, & verba desunt, quibus exprimam, quanta tum audacia Iuri Gentium, nullibi non sancto, omnibus injuriosa Factio *Stanislai* insultabat, ut qua jubente prædæ magis, quàm bello assueti Milites illi, promiscuè quæsiti, ac ad omne nefas parati, Palatium Regium æquè ac Ministri Russici oppugnabant, spoliabant, aditus Palatij Legati Cæsarei obsidebant: innocentes ad carceres deducebant, nullumque genus petulantiæ Militia illa ferox non exercebat; ita ut Ordines nullatenùs priorem Locum accedere possent. Nè tamen tempus Electioni datum infructuosum elaberetur, Ordines Reipublicæ Majorum suorum exemplum imitati: eôque attentô quòd Electioni nullus sit Locus Lege constitutus, quem pro temporum circumstantia, ac necessitate, integrum erat Reipublicæ pro placito assignare, & mutare, Actum hunc in Campo ad Pagum *Kamionna* dictum, ubi olim *Henricus Valesius* Anno 1573. electus fuerat, Deo, per quem Reges regnant adjuvante, peregerunt: ac quod felix faustumque sit, Serenissimum FRIDERICVM AVGVSTVM Regium Poloniæ, & Lithuaniæ Principem, Ducem Electorem Saxoniæ, &c. Principem certè justum, piũ, clementem, omnibusque Regijs virtutibus dotatum, teste & applaudente Cælo, tritâ Legum viâ, cum exactissima *Liberi veto* observantia, concorditer, & nemine cogente, vel contradicente, elegerunt; Eum Regem sub nomine AVGVSTI TERTII nominante Illustrissimo, Excellentissimo, ac Reverendissimo Domino *Hosio* Episco-

piſcopo Poſnanienſe, quô jure propter abuſum Primatialem, tùm in abſentia Illmi Epiſcopi Vladiſlavienſis legitimè utebatur. Et hæc eſt vera, atque genuina Relatio de Actis in utraquè Electione, quam mendaci & falſiſsimæ Narrationi Paralellarij Gedanenſis opponimus.

Iam quod attinet *Paralellam* quæ narrationem Gedanenſem immediatè ſequitur, eam ut eſt, hîc apponimus, quò Authoris peſsima fides, ex reſponſione noſtra, cuivis puncto ſubjuncta, Benevolo Lectori lucidiùs pateat.

Paralella Electionis in Regem Poloniæ.

Staniſlai Leſzczynſki.	Sereniſsimi AVGVSTI III. Regis
I. *A Tota Republica congregata legitimè, hoc eſt ab omnibus Palatinatibus Terris & Diſtrictibus, pluſquàm ad ſexagin. ta millia computatis, circa explorationem ſenſuum per Celſiſsimum Primatem Regnis quinam in Regem Poloniæ deberet nominari : inclamatus eſt* Staniſlaus Leſzczynſki *prompta & cocordi omnium voce, & Supremo Regni Mareſchallo proclamatus & publicatus.*	I. *NE unus quidem fuit inCampo Electorali ex tot millibus Hominum qui Nomen* Sereniſsimi AVGVSTI *proferret : unde ſi nec Reipublicæ, nec à Republica fuit propoſitus, nullatenùs nominari potuit.*

Reſpondetur ad I.

NVllatenùs à tota Republica *Stanislaus* Electus eſt, ſed tantùm à numeroſiore Nobilitate, ſcilicet à quadam multitudine mente confuſa, doloſis perſvaſionibus, vaniſque promiſſis Primatis in partes *Stanislai* tracta, vel coacta. In ſciſſa Re-

publica, viginti aliquot Senatoribus, & plurimis Palatinatibus reclamantibus, contradicentibus, & protestantibus, impositivè, despoticè & violentissimè nominatus, proclamatus. Iam autem Electio ut Legitima, legibusque conformis sit, nec quidem uno Nobili contradicente fieri debet.

E Contra Serenissimus AVGVSTVS III. Regius Poloniæ & Lithvaniæ Princeps, Dux & Elector Saxoniæ, in Regem Poloniæ à Republicâ legitimè congregatâ, pleno jure & activitate, quæ non in factione Potentûm, sed in observatione Legum vim & robur habet, gaudente & utente, unô labiô, & festivis vocibus, scilicet nemine contradicente, nullâ vi & violentiâ, adhibitâ cũ omni *Liberi Veto*, ac Legũ observantia debitè ritè & legitimè electus, nominatus, & proclamatus est. Falsum est, quod Paralellarius fingit, Serenissimum AVGVSTVM nec Reipublicæ, nec à Republica fuisse propositum, siquidem non deerant qui Eum Regem maximè exoptarent, ceu Principem pium, justum, prudentem, clementem, cæterisque Regijs virtutibus ornatissimum, ut qui, è stirpe Regio Iagelonica procedens, felicitatem Reipublicæ aucturus esset, Magnique Genitoris sui optimas pro Bono Patriæ intentiones effectu completurus. Vidimus utique Propositiones typis impressas nomine ejusdem Serenissimi Regis Nostri, tempore Comitiorum Electionis publicæ distributas, longè majora ac certiora commoda, quàm vana promissa *Stanislai* erant, demonstrantes, omnium manibus teri ac probari. Quòd autẽ Candidatus hic in Campo illo jugulatæ Libertatis ad Pagum *Wola* non fuerit auditus à Palatinatibus proponi, Primatis violentum opus est, cui nullus præter *Stanislaum* Candidatus cordi fuit, cùm libera suffragia clamoribus factiosorum ac armorum strepitu supprimeret, vocemque Electoris Populi liberam, quodammodo infaucibus præfocaret. Non deerant enim Nobiles, qui Serenissimum AVGVSTVM Electorem Saxoniæ REGEM Poloniæ exposcerent, nominarentve; quorum plurimi è diversis Palatinatibus ac Districtibus recenseri possent, sed quantô vitæ periculô libera suffragia depromebant, vix dici potest. Illi enim qui tumultuosis acclamationibus feroces, suæque præpotentiæ confidentes Primatem stipabant, Nobiles pro libertate sentientes ceu Hostes respiciebant, aliumque Candidatum

datum præter *Stanislaum* nominantes, ſtrictis enſibus aggrediebantur, vel ſcloporum fulmine petebant. Tam inauditam in libera Gente oppreſsionem pluribus authenticis teſtimoniis probare poſſemus, præſertim Generoſorum *Gaſpari Konopnicki, Ioannis Wichrowski, Stanislai Morawski*, aliorumque, quorum primus teſtatur, quòd cùm FRIDERICVM AVGVSTVM inclamâſſet in Campo Electorali ſclopo petebatur, evaſit tamen periculum, equo cui inſidebat occiſo. Reliqui fide Nobili aſſerunt, eadem de cauſa Nobilem *Kolczynski* è Palatinatu Siradiæ in eodem campo interemptum fuiſſe.

Quo tempore.

2. *Electus eſt tempore determinato per Conſtitutionem Convocationis immediatè in Anno* 1733. *celebratæ, quæ præſcribit ex graviſsimis rationibus ut quantociùs expediatur Electio* REGIS: *Inſtantibus inſuper tempore ipſius Electionis Palatinatibus, ut Nominatio Regis quàmprimum peragèretur, prout in ſimili caſu id practicatum fuit in Electione Vladislai IV. Moſchis impedire volentibus Electionem.*

Quo tempore

2. *Electus eſt Sereniſsimus* AVGVSTVS *jam elapſo tempore Electionis, quia expedita legitimè Electione Stanislai finita ſunt ſimul Comitia Electionis, omneſque Palatinatus, Terræ, Diſtrictus, valedictione à ſuo Mareſchallo recepta, à Campo Electorali receſſerunt, nulla facta limitatione actûs Electionis: unde ſi prior Electio defectuoſa fuiſſet, deberet nova inſtitui Electio, nova Comitia Convocationis, nova Congregatio Palatinatuum, nova extradi ad id Univerſalia &c.*

Reſpondetur ad II.

VErum quidem eſt, quòd impoſitio *Stanislai* intra tempus Electioni aſsignatum, malô noſtrô facta ſit; ſed omninò falſum, quòd Conſtitutione Convocationis præſcribatur, datum Electioni tempus, ob quaſdam rationes coarctari debuiſſe. Maxima ſanè ratio erat, ut Primas, adhibita tandem fide, quòd Exercitus Ruſsicus jam infra fines Reipublicæ eſſet, de *Stanislao* (ob quem hæc tempeſtas exoriebatur) minùs

nùs cogitans, alium Candidatum, qui vicinis Principibus gratior, Reipublicæ utilior, à legibus non excluſus, ac avertendo periculo par eſſet, Electori Populo propoſuiſſet: aſt Primas Pſeudo Electionem præcipitavit, ac ſi illum tæderet expectationis Ruſſorum, nimiſquè ſerò calamitates, quibus nunc premimur venirent. Exemplum de Electione *Vladislai IV:* Regis, hôc locô à Paralellario non minùs falsè allegatur: ſiquidem tempore *Sigiſmundi III.* Moſchi ruperant fædus, quòd ipſis cum Republica erat; ut itaquè vis hoſtium propelleretur, expediverat *Sigiſmundus* exercitum Duce *Vladislao* Filio ſuo, ut Conſtit: An: 1632. teſtatur. Bellum id vitâ Patris inchoatum, continuabat *Vladislaus* tum Regius Princeps, toto Interregni tempore, ut ex Actis Confœderationis, tum ex PactisConventis *Vladislai* jã Electi Regi patet. Durabat quoquè bellum illud cum Moſchis, coronato jam Rege *Vladislao IV.* imò aliquot annis poſt Coronationem atteſtantibus Conſtit: Regni An: 1633. 1634. 1635. & 1637. Ex quibus clarè liquet, quòd eo tempore Ruſsi non immiſcebant ſe Electioni Regis, neminemquè à Throno excludebant, ſed Bellum *Sigiſmundo* vivente cæptum, Interregni tempore, ac *Vladislao* regnante proſequebantur; Quem Ruſsi non Gedani latitantem quærebant, ſed aperto Marte, pro ſalute Reipublicæ decertantem tum experti ſunt.

SEreniſsimus AVGVSTVS Tertius REX, electus eſt (ut ſupra diximus) intra ſpatium ſex ſeptimanarum Electioni datum, quod nec abreviari, nec prolongari poſſe, plurimæ Conſtitutiones teſtantur. Sed quæritur num authoritas & activitas Comitiorum Electionis illi parti Reipublicæ, quæ legibus manifeſtè prævaricabatur inerat? quàmvis Primatem, & Mareſchalcũ factionis ſuæ Anteſignanos haberet: an illi quæ Pragæ unita, Libertati proſpiciens, pro Iuribus, legibuſquè Patriæ zelaret, atquè contra omnem violentiam proteſtaretur? & certè nemo rationis compos, quæ in quæſtione ſunt, ſcilicet authoritatem, & activitatẽ Comitiorum, huic non attribuet. Nec obeſt, quòd D. *Rádzewski* Pſeudo Electionis Mareſchalcus Comitiis valedixerit: id enim fecit, inconſulta ſaniori Parte Reipublicæ, reclamantibus, & proteſtantibus Ordinibus Pragæ Confœderatis, ac contra præſcriptum modò

allega-

allegatarum Constitutionum, eosdem Ordines authorisantium, ut sine quavis novæ Electionis indictione, tempore quod reliqvum erat, in plena activitate, cum qua Pragam recesserant, uterentur, bonoque Publico impenderent; quod eos fecisse, Primas cum sua factione dolet. Scimus utiquè D. *Sigismundum III.* sinè novis universalibus, ac his solemnitatibus, quas Paralellarius exigit, in suburbio Varsaviensi, quod Cracoviense dicitur, ubi nunc Palatium Regium extat, ritè electum fuisse, postquàm factiosi in Campo ad *Wolam* Austriacum Principem Regem proclamâssent. Vtique p. m. *Dambski* Episcopus Vladislaviensis, post Cracoviensis, Gloriosissimæ memoriæ AVGVSTVM Secundum à saniori parte Reipublicæ electum nominavit; cùm jam Cardinalis *Radziejowski* Candidatum Gallum Regem dixisset. Nec ideò tamen Electio AVGVSTI minùs legitima fuisse, quòd ob defectuosam Electionem Galli, nova Electio, nova Comitia Convocationis, nova Congregatio Palatinatuum institui, ac nova ad id universalia extradi debuissent, nisi ab aliquo insanæ mentis, dici potest.

In quo loco.

3. *STanislaus electus est in loco designato per tot Constitutiones Regni, & novissimè per Constitutionem Comitiorum Convocationis* 1733. *scilicet in Campo Electorali, sic proprio vocabulo dici solito, inter Varsaviam & Villam* Wola. *Vbi ab immemorabili tempore, juxta antiquas Constitutiones, Electiones fieri solent:*

In quo loco.

3. *ELectus est Serenissimus* AVGVSTVS *ex altera parte Vistulæ, in Campis Pragensibus sub sylva ad Villam* Kamień *dictam, ubi iter publicum pro mæniis Electoralibus, taberna loco* Szopæ *seù stubæ Senatoriæ fuit: contra Constitutiones, morem & consuetudines, cum tamen in similibus actibus tempus & locus per Constitutiones Convocationis determinentur, ita ut actus qui extra assignatum lege locum celebratur, nullus seu invalidus sit.*

Respondetur ad III.

FAlsissimum esse, Comitiis Electionis immutabilem locum in

 Campo

Campo ad Pagum *Wola* quibusdam Constitutionibus designari, siquidem Reges, tum adhuc hereditarii, solum Coronationis Actum Cracoviæ fieri voluerunt, liberam ubiquè Electionem Regis, Nobilitati relinquentes. Vndè Majores nostri, post obitum *Stephani Bathorei* (ut alia exempla prætereàm) deserentes *Szopam*, factione Austriaca laborantem, Civitati Varsaviensi propiùs accesserunt, atquè in eo loco, ubi nunc Palatium Regium extat, Campum Electoralem formantes, *Sigismundum* Regium Sveciæ Principem, ritè elegerunt. Cùm autem ipsis ab adversariis obijceretur, quòd non in solito ac assignato loco, Electionem suam fecissent, responderunt: *Quod omnis locus eo privilegio legitimatur, suamquè legitimitatem habet, cùm Viri, ad quos negotia Reipublicæ propriè spectant, cum magno numero Senatorum, & frequente Nobilitate, servata cujusquè Dignitate pacificè, sine clamoribus, & strepitu armorum consulunt.* Verba hæc ex Patrio idiomate genuinè translata sunt, ex Actis Recessûs Varsaviensis An: 1587. desumpta, ubi de Electione *Sigismundi III.* Majores Nostri agunt; atquè objectiones, quæ tùm ab adversariis passim fiebant, diluunt. Exemplum authenticum relinquentes Posteris, pro exigentia temporis & necessitatis imitandum. Antiquius deindè habemus, post obitum *Sigismundi Augusti*, cum *Henricus Valesius* An: 1573. in Campa ad Pagum *Kamionna* eligeretur. Itaque moribus antiquis (cum Campus ad *Wolam* à factiosis contra omne jus & fas hostiliter impediretur) in eodem Campo & loco, scilicet ad *Kamionnam*, ritè, legitimè, ac nemine contradicente electus est à Nobis priscæ virtutis imitatoribus Serenissimus AVGVSTVS Tertius: non quidem sub *Szopa* (quam Primas exuri jusserat) sed sub libero Iove, teste, & applaudente Cælo. Non merentur fidem quæ Parallelarius fors e Taberna de Taberna, pro *Szopa* in Nostra Electione habita, benè madidus impudenter scripsit.

A quo Electus.

4. *Electus est, quod est essentialissimum, ac omnibus Palatinatibus, nullo prorsus excepto; prævijs omnibus solennitatibus*

A quo Electus.

4. *Electus est nullo præsente Palatinatu, nulla Terra, Districtu nullo, Electus est à paucis ijsquè privatis, nullam ad id à Re-*

satibus, sponté liberè, & cum summo desiderio à sexaginta & quod superat millibus Hominum, ab Electore populo, qui nulli censuræ obnoxius fuit.

à Republica potestatem habentibus, Electus est à redeuntibus Domum ab Electione in itinere interceptis, per Universalia Dñi. Lesse ignem & ferrum minantia compulsis, aliis pretiô conductis. Electus est à perjuris, quorum aliqui duabus, aliqui tribus vicibus juraverant non eligendum contra unanimem Reipublicæ mentem, & instructionem plerumquè Palatinatuum, Terrarum & Districtuum, qui non esset Patre & Matre RomanoCatholicis natus, & qui Dominia sua, aut Exercitus extra fines Regni haberet. Electus est à proscriptis, & hostibus Patriæ, partim per Constitutionem Convocationis declaratis, illis qui in Regem eligerent extraneum, & Dominia extra Regnum habentem, partim per Decretum Reipublicæ totius in Campo Electorali, in manifestatione contra Moschorum invasionem concepta, latum; quod per illos metipsos, qui adhæserunt Moschis circa Electionem Serenissimi AVGVSTI *subscriptum fuit: quod quidem Decretum extenditur non solùm ad illos, qui Exercitum Moschoviticum introduxerunt, sed etiam omnes illi, qui ipsis Moschis in posterum adhæsissent, per Decretum illud declarati sunt hostes Patriæ, capita invindicabilia &c. Illud etiam animadvertendum est, quòd cùm è Majori Polonia nemo pror-*

jus

ſus eſſet, qui Electioni aſsiſteret, duo Adoleſcentuli Dźiałynſcii, *qui in Scholis Varſavienſibus operam literis navabant, ad actum hunc aſsumpti ſint, & quod magis adhuc mirandum eſt:* Potocius *ſeptennis infans defuncti Illuſtriſsimi* Potocki *Mareſchalli Curiæ Regni Filius, ad ſubſcribendum Actui Electionis invitatus & adductus fuit, ut ſcilicet è Domo* Potocciana *aliquis partibus Electoris Saxoniæ adhærere credatur, dum hujus Infantis Nomen inter alias ſubſcriptiones legetur.*

Reſpondetur ad IV.

IN narratione noſtra, ac reſponſo ad I. punctum hujus Parallellæ, ſat oſtendimus qualis fuerit PſeudoElectio *Staniſlai*, eique longè diſpar Electio Sereniſsimi AVGVSTI Tertii, REGIS ac Domini Noſtri Clementiſsimi, quem Ordines Reipublicæ legitimè, & in maximo numero Nobilitatis congregati, plenaque activitate uſi, ac omnem poteſtatem ad id habentes, nemine contradicente, nec cogente, ritè, legitimè, ac in plena libertate elegerunt; poſteaquàm *Stanislaus* vilipenſa tot Senatorum, ac plurimorum Palatinatuum contradictione, reclamatione, ac proteſtatione, præpotentiâ Primatis violenter, ſcandaloſè, ac cum monſtroſa Legum & Libertatis oppreſsione, in maxima deinde ſciſsione obtruſus, nominatus ac publicatus, nullatenùs verò ab omnibus Palatinatibus, Terris, & Diſtrictibus, multò minùs à tota Republica electus fuiſſet. Ita ut quæcunquè à Parellelario, hôc locô ſtudioſè finguntur, nempe quòd Sereniſsimus AVGVSTVS, *à nullo præſente Palatinatu, nulla* Terra, *Diſtrictu nullo, à paucis, iiſque privatis, nullam ad id à Republica poteſtatem habentibus, à redeuntibus Domum, ab interceptis in itinere, pretiò conductis &c.* electus ſit, nulla jam egeant refutatione; cum ex ſupra.

dictis.

dictis abundè pateat, quàm graviter mentita est iniquitas si, bi. Nec in reliquis majorem fidem mereretur Paralellarius, præsertim quòd Nobiles Vniversalibus literis Illustrissimi de *Lesse* Generalis Copiarum Russicarum Ducis *ignem & ferrum minantibus* ad eligendum AVGVSTVM cogebantur, utique producat illas, si sibi credi vult; sed hæc responsioni nostræ ad ultimum Articulum Paralellæ, quô eidem Generali graviora malitiosè objicit, reservamus. Cùm autem hôc locô sui impotens Paralellarius, acerbiori censura Ordines Reipublicæ perstringat, ac indignationis suæ omne virus evomens, Electorem Populum, *proscriptos, Hostes Patriæ, perjuros & Capita invindicabilia*, injuriosissimè appellat, eò, quòd Serenissimum AVGVSTVM, non utroquè Parente Catholico natum, Dominia sua & Exercitus extra fines Regni habentem, atque, ut factio illa prætendit, Extraneum elegerit: idque contra fidem juramenti, ac deinde contra Decretum Comitiorum Convocationis, quô prætensa exclusio illa statuitur, & quòd non dicit, intelligi tamen vult, usurpationem *Stanislai* constanter respuerint: ac tandem quòd Moschis adhæserint. Videamus impudentiam hominis, brevibus indagaturi, unde illa aversio Ordinum à *Stanislao*, ut deinde faciliùs intelligamus, quid persuaserit, ut Serenissimum AVGVSTVM eligerent Regem. Contra *Stanislaum* non ego, sed loquantur leges, ac Constitutiones Regni, An: 1593. 1607. 1609. Privilegium *Sigismundi* Tertii An: 1637. Item Constitutiones Ann: 1662. 1667. 1670. 1703. Confæderatio Sendomiriensis 1704. Constitutione Anni 1710. confirmata, ac tandem Constit: Ann: 1717. & 1718. quarum antiquiores securitati Electionis caventes, eum qui vivente REGE, Thronum aliquando usurparet, violenter ascenderet, vel ambiret, ipso facto Hostem Patriæ, Infamem, ac Regiô fastigiô perpetuò indignum decernunt: Recentiores autem *Stanislaum*, ut qui in vita Serenissimi gloriosæ memoriæ AVGVSTI II. legitimi Regis, Potentiâ Exoticâ adjutus, Regnum invaserat; ceu hostem Patriæ, Rebellem, violentum Vsurpatorem, ac perpetuò ineligibilem disertis verbis damnant. Hunc deinde vel ipsa Convocatio Varsaviensis ultima, à Regia dignitate implicitè excludit; si enim Nobilis jure victus Electioni interesse prohibebatur, à potiori certè, Iure victus in Regem eligi nullatenus potuit. Intelligebant præterea Ordi-

nes omnia ſtudia Primatis eò collimare, ut *REX* non qualis dignitati Reipublicæ convenit, tuendis Legibus ſufficit, atquè ad colendam cum Vicinis amicitiam deſideratur, à Nobilitate eligeretur; ſed qui ejus obtemperans voluntati, faceret quod juberet, pro majori Domûs ſuæ incremento, & depreſsione æqualitatis. Quod ſequenti tempore apparuit, cùm Electum ſuum coëgit, ut *Poniatowſciô* Maſoviæ Palatinô ſumma Militiæ Præfectura contra Leges exauctoratò, eam dignitatem *Potoccio* Palatino Kijoviæ conferret. Erat præterea Reipublicæ ſuſpecta vetus amicitia *Stanislai* cum Turcis, quorum protectionem, cæſo ad *Plotavam* Svecorum Exercitu, Regno pulſus imploraverat, & obtinuerat: nè forte aliquando, ſollicitante *Gallo*, arma Reipublicæ Gentilibus conjungens vicinos Principes aggrederetur, Patriamquè exitioſo bello exponeret. Vidimus ſiquidem quantum factio *Stanislai* in Potentia Turcica confidit, cùm enim Legatus Portæ è Svecia redux, tempore Comitiorum Electionis Varſavia tranſiret, Primas & Palatinus Maſoviæ omninò perſuadebant eidem Legato, quatenùs publicè declararet ingreſſum Copiarum Ruſſicarum repugnare Tractatui Pruthenſi, & eſſe manifeſtam infractionem pacis, nec jam Portam Othomannicam poſſe, quàm indicere bellum Ruſsis; ſed Legatus cùm hoc fine ad Primatem invitatus eſſet, prudenter reſpondit, quòd ſi talia injuſſus diceret, nec Primas, nec omnes Magnates impedirent, quò capite non plecteretur. Tractatus deinde Varſavienſis cum aliquo Principe ſibi Confæderato initus, ſpeciali articulo, Diſsidentibus plurima indulgens, periculum Religionis Orthodoxæ indicabat à Candidato, qui aliquando privatum commodum, integritati Fidei prætuliſſet. Maximè autem Civium animis inhæſerant vicinorum Principum remonſtrationes, quibus Primatem (ut jam diximus) avertere nitebantur à promotione illa, nè forte bello, multiſquè ærumnis Patriam involveret. Hæ erant rationes, ob quas Ordines à *Stanislao* abhorrebant. Aſt cùm Primati *Stanislaus* ita placuiſſet, ut violatis Legibus (quas ſupra memoravimus) & oppreſſa Libertate eum Regem, quem anno 1704. ceu hoſtem Patriæ, ac perpetuò ineligibilem ipſemet ejuraverat, deſpoticè nominaret, non modò intollerabile jugum liberæ Genti imponens, ſed etiam Rempublicam periculo belli, quod ab

Exercitu

Exercitû Rufsico, jam tum in Podlachia exiftente, atque in auxilium Legum & Fæderum, quæ tum â prævaricatoribus, & oppreſſoribus illis, impunè violabantur, &ſi à nemine vocaretur, feſtinanre imminebat, evidenter exponens: cogitabant Ordines de eligendo Rege, qui tantis periculis par eſſet, nempe qui Rempublicam à tam contumelioſa impoſitione vindicaret, Regnumque à militis externi incommodis liberaret. Cùm autem è Noſtris nemo, in hacce rerum ſituatione Regni Diadema exambiret, quòd præpotentiæ *Stanislao*-Primatialis factionis, ad hæc Turcica & Tartarica auxilia, ſibi præſtò fore gloriantis, viribus inferiores eſſent: vel quòd Reſpublica Exercitum Ruſsicum, Hoſtem ſuum apud nos quærentem, diutiùs ferre deberet, aliquo ex noſtris electo, qui uſurpationem *Stanislai* minùs potenter propulſaret: Ac tum omnium animis obvenit Sereniſsimus AVGVSTVS REGIVS Poloniæ Princeps, duodecies Regio *Iagelonum* Sanguini conjunctus, ſicut patet ex Schemate infra adjuncto, ſub Litt: A. unde non extraneus (quâmvis prætenſâ excluſio nihil operetur) Princeps omnibus virtutibus ornatiſsimus, potentiâ autem, & opibus, cuivis periculo par. Hæc ſunt motiva, ob quæ Ordines faſces Regni Principi huic detulêre; tum quòd pleriſque grata memoria maximorum in Rempublicam meritorum AVGVSTI Secundi inhæreret.

QVomodò autem excluſio illa, ſcandaloſis juramentis innixa ſteterit, in ſuperiori narratione noſtra fideliter recenſuimus. Iam probet Paralellarius, quòd Ordines Moſchis adhæſerint, & certè deficiet, niſi innocentes convincere velit, eô, quòd unà cum *Stanislao* & factione ejus Gedanum non confugerint: ac ſi Civitas illa totam Rempublicam capere poſſet. Cæterùm, non eſt adhærere, cùm Superiori Potentiæ non inſultamus, cui demùm communis nobiſcum hoſtis eſt *Stanislaus*; Nobis quidem; quia liberum Regnum, à quo lege publica in perpetuum excluſus eſt, invadere & uſurpare contendit. Quæ autem Ruſsis inimicitiæ cauſa ſit? Gedano jam propinquiores, Paralellario dicant.

REliqua duo mendacia refelluntur manifeſtatione publica Ordinum Regni, contra oppreſsionem Primatialem die 14.

Septembris facta: tum Actis Electionis, atque Confæderationis nostræ, quibus eadem manifestatio præfixa est: ubi numeret Paralellarius, quot nam Nobiles, præter *Dżialyńscios* è Majori Polonia, Electioni AVGVSTI interfuerint, & inveniet plurimos primæ distinctionis Viros, totidemquè impudentiæ suæ testes. *Dżialynscii* nunquàm Varsaviæ literis operam dabant, ut quo pro Electione prima vice venerant. Natu majorem jam diu prætextam exuisse, Paralellarius judicâsset, si in publico Nuntiorum consessu, maturè & quæ Viros decent differentem audijsset. Nec veriùs est, ijsdem Actis fabulam refellentibus, *Potoccium* Illustrisimi olim Mareschalli Curiæ Filium Electioni Serenisimi AVGVSTI Tertii subscripsisse; septennes enim pueros, Consilio Primatis, ut qui puerilia agit, relinquimus. Is Infans certè septennis, legitur in Actis Convocationis inter Consiliarios ad latus Primatis tum Interregis officio fungentis, à Republica designatos, quò vel ex hoc merito summis fascibus ætate majoribus propior sit *Potoccius.*

A quo nominatus.

5. *STanislaus nominatus est à Celsissimo Theodoro* Potocki *Archiepiscopo Gnesnensi Primate Regni, cui per Leges Regni per Bullas Pontificias, & specialiter per Constitutionem Comitiorum Convocationis, juramento Episcoporum firmatam, competit expressè, privativè quo ad omnes alios Episcopos, jus nominandi Regem: ita ut omnes alij Episcopi sub juramento, & pænis à nominando Rege excluduntur: imo per Bullam Sixti Papæ V. si quis Rex à quocunquè alio, non à Primate Regni fuerit nominatus, non tantùm Episcopus ita nominans incurrit pænas in dicta Bulla expreßas sed etiam ejus Nominatio nulla, & irrita declaratur.*

A quo nominatus.

5. *SErenißimus* AVGVSTVS *nominatus est ab Episcopo Posnaniense* Hosio (*non Primate*) *contra juramentum illius generale tanquam Senatoris, quo noxia Reipublicæ obligatur avertere. Ille autem per suam nominationem extrema mala Reipublicæ, Liberæ Electioni vulnus, Statûs & Legum eversionem, Sangvinis humani effusionem, devastationem Regni, opreßionem pauperum, nec non immunitatis Ecclesiasticæ, violationem & bonorum illius direptionem induxit. Contra juramentum generale in Comitijs, Convocationis præstitum non eligendi Regem extraneum, aut habentem Dominia sua extra Regnũ, contra juramentum*

tum speciale ab omnibus Episcopis in dictis Comitijs emissum, non involandi in jus Primatiale nominandi Regem, unde Serenissimus AVGVSTVS *Nominatus est à tali, qui per nominationem suam triplex juramentum violavit. Recte additur quòd hæc Nominatio processerit ab illo, ad quem extenditur suprascriptum Decretum in manifestatione totius Reipublicæ latum, & ab ipsomet Nominatore subscriptum.*

Respondetur ad V.

FAtemur *Stanislaum* à Celsissimo Primate nominatum fuisse, sed impositivè, & per summam *liberi Veto* oppresionem, ut ex supradictis patuit, unde temeritas Primatis Bullâ *Sixti V*. Papæ minimè authorisatur. Hujus enim verba sunt *Ad tollendum verò dissidii, & intestini belli periculum, nullus Episcoporum & Prælatorum, contra jus Archiepiscopi post renuntiationem ab eo factam, scilicet de Persona Catholica* NB. *SERVATIS REGNI STATVTIS, ET CONSVETVDINIBVS in Electione Regis, audeat nominare &c.* ac si diceretur, quòd nullus Episcoporum hoc jus Primatiale usurpare potest, dum Primas *Servatis Regni Statutis, & Consuetudinibus*, Regem jam nominavit. Si autem secus factum sit, scilicet cum Primas libertatem vetandi Statutis Regni firmatam, non observans, imò opprimens, aliquem in scissa Reipublica impositivè & violenter nominavit, liberum esse reliquis Episcopis, præsertim accedente consensu Ordinũ Reipublicæ, alium Regem nominare. Explicatio hæc omnino admitti debet, tum quòd verba, quæ ex Bulla *Sixtina* annotavimus, disertè velint nominationes non aliter, quàm *servatis Regni Statutis, & consuetudinibus* à Primatibus fieri. Quæ enim absurda inde sequerentur, si quis illud ita intelligendum esse existimaverit, ut ad solum Archiepiscopum Gnesnensem, omnem in his potestatem ita restrictam esse vellet, ut nullo casu, alium quemquam, id facere posse af-

firmaret; sequeretur certè, quôd Primates impunè possent concesso sibi jure abuti, & Regem pro libitu, Legibus Patriis sùis deqùe habitis imponere. Ac quòd tot exempla doceant Episopos nominâsse Regem, postquam Primas jure suo abusus esset. Ita *Dąbski* Episcopus *Vladislaviensis*, Cardinale *Radziejowski* Gallum publicante, AVGVSTVM Secundum nominavit. *Stanislaus Karnkowski* tum Episcopus Vladislaviensis contra *Vchanscium* Primatem *Maximiliano Austriaco* addictum, nominavit *Stephanum* Regem. Si itaque illi Episcopi, impositioni Primatiali strenuè resistentes, nominârunt, quare Illustrissimus Episcopus Posnaniensis (quem præter Romanam decisionem pro nullitate juramenti in Convocatione violentiùs exacti, abusus Primatis relevabat) AVGVSTVM Tertium nominare non potuisset? Cœterùm qui vult esse censor, purget se crimine primò: Turpe est in alieno oculo festucam observare, & in suo trabem non videre, suaque crimina in alios retorquere. Vtique Celsissimus Primas, contra juramentum Senatorium, quô noxia à Republica avertere tenetur, per violentam impositionem *Stanislai*, extrema mala Patriæ, liberæ Electioni vulnus, Statûs eversionem, aliasque calamitates, quæ hic temerè Illustrissimo Episcopo Posnaniensi imputantur, induxit. Vtique violatô juramentô Confæderationis Sendomiriensis *Stanislaum* hostem Patriæ in perpetuum ineligibilem obtrusit. Vtique contra Iuramentum suum in Convocatione de non nominando alio Rege quàm qui de consensu omnium ritè & legitimè eligeretur, *Stanislaum* in scissa Republica nominavit, ac ideò ter perjurus meritò censendus est.

Quomodo.	Quomodo.
6. *ELectus est* Stanislaus *cum omnimoda Reipublicæ libertate, sine ullo Exercitu vel armis, quæ aliquem cogerent ad dandum alicui Candidato suffragium. Electus unanimi omnium, qui erant in loco Nominationis consensu, nemine prorsus contradicente: Nam*	6 *MOdus Electionis Serenissimi* AVGVSTI, *fuit in summa coactione, namquè cincta fuit numeroso Exercitu, fortibus utpotè armatis persuasionibus extorta, quomodo enim fieri potuit ut esset libera, cùm adeò pauci iique privati. Cives*

Nam & Dominus Kaminski, *qui se cæpit in loco Nominationis opponere, ad amicabiles remonstrationes, & persuasiones ultro benevolè & sinè minima impetitione in eodem loco & tempore à contradictione recessit, & ipse Vivat* Stanislaus *inclamavit. Capitaneus Opocinensis qui pridie Electionis recesserat ab Electorali Campo scripsit literas, quibus exprimit suam lætitiam de felici & optata Electione, Serenissimoquè Electo gratulatur. Cæteri postridie Electionis ad eundem Electum accesserunt salutationis & submissionis exhibendæ causâ:*

ves per quadruplicem sensum in favorem quatuor Candidatorum divisi, per Confœderationem electuri Regem, pro parte Serenissimi AVGVSTI *non nisi per Generalem* Lesse, *uti summa authoritate utentem, determinati, eodemque Generali primò nominante & proclamante Serenissimum* AVGVSTVM, *non tam libenter, quàm reverenter eidem Electioni annuerint, uti patet ex originalibus literis ejusdem Generalis* Lesse *ad Dominum* Osterman *scriptis, in quibus inter alia: hæc de verbo ad verbum habentur:* DOMINOS POLONOS inter se dissidentes de Candidato, partim persuasionibus, & pollicitationibus, plurimùm verò minis, & terriculamentis adegi, ut eligerent Electorem Saxoniæ, qui satis potens erit & seipsum in Throno, & suos Electores manu tenere.

Responderetur ad VI.

SVpradictis jam satis probavimus, qualis fuerit PseudoElectio *Stanislai*, scilicet coacta, violenta, sub armis factiosorum liberam vocem vetandi supprimentibus, in scissa Republica, tot Proceribus & Palatinatibus contradicentibus & protestantibus extorta, ut eadem hôc locô repetere fastidio sit. Innuit Paralellarius, quòd D. *Kaminski* tempore Nominationis se opposuerit, tum quòd ad persuasionem amicorum, statim á contradictione sua recesserit: sed hæc ideò fingit, ut rectè sentientibus ac si tum *liberum veto* vim aliquam

& pondus suum habuisset: Scimus enim quàm fortes fuerint persuasiones in Campo Electorali, cùm in illo factionis æstu nec hiscere quidem liceret contra Candidatum Primatialem. Falsissimum deindè est Illustrissimum *Malachowski* Capitaneum *Opocznensem*, qui è Campo Electorali cum Nobilitate signa sua sequente, Pragam abiens, contra Pseudo-Electionem protestatus fuerat, ab hacce contradictione sua recessisse, atque literis *Stanislaum* agnovisse, siquidem coram Actis Castri Cracoviensis contradictionem suam publica Manifestatione die 11. Ianuarii 1734. data approbat, nullasque literas usurpationi succensentes scripsisse assecurans, Serenissimum AVGVSTVM Tertium Regem ac Dominum suum agnoscit. Hæc de Illustrissimo *Malachowski* fingens, sibi malè conscia factio *Stanislai*, disertè fatetur, fuisse contradictionem; si ergo fuit, non debebat certè nominari *Stanislaus*, stante vel illa sola contradictione; Eam autem nullatenus revocatam fuisse testatur Protestatio Cracoviensis nuper facta, & Manifestatio Ordinum de die 14. Septembris 1733. cui dictus Illustrissimus *Malachowski* subscripsit: unde Pseudo-Electionis, & Nominationis *Stanislai* imbecillitas, etiam ipsius partis adversæ confessione demonstratur, ut cæteras contradictiones sub silentio præteream.

OBjectiones, quas contra Legitimam Electionem Serenissimi AVGVSTI III. Paralellarius facit, ultra refellere, æquè tædiosum esset: Siquidem modum Electionis Nostræ nullo contradicente, nullaque vi cogente, non sub Confæderatione (quàm post Electionem po tuitione Majestatis & libertatis coaluisse Acta testantur) liberè, & concorditer peractæ, superiùs dictis, satis legitimavimus. Restat tantùm, ut Calumniatorem mendacii convincamus, in eo, quòd fingit Illustrissimum de *Lesse* Generalem Copiarum Rusicarum Ducem, per Vniversalia sua ignem, & ferrum minantia, Nobilitatem coëgisse ad Electionem Serenissimi AVGVSTI, Eumque Regem summa authoritate proclamâsse: Quod ipsum quadam Epistolâ dicti Generalis, ad Illustrissimum Comitem *Ostermann* Vice Cancellarium Russiæ, ac si scripta (quam interceptam fuisse credi vult) probare contendit. Ad hæc respondeo, neminem vidisse hujusmodi Vniversalia, nec Illustrissimum

mum *Lesse* ullatenus libertatem Electionis, vi aliqua aut com. minatione perturbâsse, imò remotiùs à Campo Electorali Castra sua locâsse, quò liberiùs Ordines, Regem qualis placeret, concordibus votis eligerent; quàmvis tamen, ex mandato Aulæ suæ amicè suasisset, quatenus Ordines, compositis ad unionem animis, Electionem, *Stanislaiticâ* legitimiorem, pro bono Reipublicæ peragerent, nullam præcisam determinationem faciens, ut Serenissimus AVGVSTVS omninò eligatur. Falsitas prætensæ Epistolæ, huic puncto annexæ, ita manifesta est, ut dubitari nequeat, quod ad labefactandam legitimitatem Electionis nostræ (quam ceu sub Armis exoticis factam à rerum ignaris censeri volunt) commentum id malitiosissimum factiosi adinvenerint. Siquidem Illustrissimus Generalis *Lesse* statim eadem die nempe 5. Octobris, qua Electio facta erat, scripsit Praga ad Serenissimam Authocratricem Russiæ, nuntiando de felici successu Electionis Serenissimi AVGVSTI, scripsit quoque alteram Epistolam ad Illustrissimum Vice Cancellarium *Ostermann* de tenore tali. *Excellentia Vestra dignabitur ex relatione mea ad Conclave Imperatorium transmissa, ad quam (ob brevitatem temporis, plura scribere non valens) provoco; situationem rerum, quæ hic aguntur cognoscere. Hodie post meridiem, intra quartam & quintam horam, medio miliari hinc ad Grochoviam, ubi olim* Henricus Valesius *è Gallia electus fuerat, Magnates Poloniæ nomine* Reipublicæ *unanimiter declarârunt Regem, Serenissimum Regium Principem Electorem Saxoniæ. Quod* Excellentiæ *Vestræ deferre nolui intermittere, permanens &c.* Talis erat Epistola ad Illustrissimum *Ostermann*, quam unà cum relatione supradicta Domino Maiori *Geheym* ferendam dedit: utraque autem expeditio hæc Petropolim advenit, testante responso Illustrissimi *Ostermannij*, ipsoque litterarum latore *Geheymio*, qui salvus rediit reportatô mille Rublorum præmiô pro tam grata notitia. Præter has literas, nullas jam ad *Ostermannium* Generalis *Lesse* super hanc rem expedivit. Vnde copia illarum, quas Paralellartus operi suo adjunxit, falsissima est, atque figmentum ad decipiendos homines mala fide excogitatum. Scripserat deinde idem Generalis aliam Epistolam ad solam Serenissimam Authocratricem Russiæ, quâ, nulla prorsùs interjecta mentione de rebus nostris, exponebat nonnulla transitum Vistulæ concernentia

nentia, hanc autem Epistolam à Domino *Pociey* interceptam fuisse, unà cum sub Officiali eam deferente certum est. Quòd de quatuor Candidatis Paralellarius dicit, pro nobis dicit, id enim attribuit Electioni nostræ, quod natura Electionis exigit, jam verò PseudoElectioni *Stanislai*, cum gravi libertatis oppressione, defuit. Nos è quatuor Candidatis in unum nempè Serenissimum AVGVSTVM III. unanimiter convenimus: Illi autem scilicet Primas, & quotquot factioni ejus adhærent, nullô Candidatô admissô, *Stanislaum* per summam vim obtruserunt. Qui vel ipse de subsistentia, realitate, ac legitimate Pseudo-Electionis suæ dubitans, mavult ad priorem usurpationem redire: Siquidem in quibusdam literis publicis, non fatetur se liberis suffragiis electum fuisse, sed Regni fasces, ac si diu debitos resumpsisse dicit: neque etiam *Electi* Regis titulo, ut leges jubent, sed Regis, ceu jam Coronatus fastuosè utitur, nescio tamen ubi locorum regnaturus.

JAm judicio Orbis subsit, quàm mendax sit illa Paralella Gedanensis, quam Author simplicitate verborum studiosè affectata, ut eò meliùs malitiosissimas fictiones obvelaret, compositam, publico obtrudit, & genuinam, conscientiosam, veramque credi vult.

MIror, quare Paralellarius pro majori affirmatione falsitatum, quibus narrationem suam replevit, famosum testimonium illud septem Episcoporum, de die 17. Septembris, pro Electione *Stanislai* datum, non allegaverit? quamvis instrumentum illud operi suo aliquam fidem adstruere, imò Pseudo-Electionem contra obiectiones, quibus passim impugnatur, legitimare videtur. Quis enim tantis Testibus non crederet? quorum Præsulei sanctimonia characteris, & præcipua in Republica auctoritas publicam fidem habet, omniumque æstimationem meretur. Nec recogitanti alia ratio occurrit, nisi quòd Paralellarius testimonii hujus authoritatem ulteriori defensioni iniquæ causæ suæ reservavit, vel ceu manifestè falsum consultò suppressit. Siquidem notorium est Illustrissimos ac Reverendissimos DD. Vilnensem, Varmiensem, Chelmensem, & Livoniæ Episcopos, ea die quâ Celsis: Primas *Stanislaum* nominaverat, Campum Electoralem non a

divisse

divisse, sed Varsaviæ in Residentiis suis permansisse. Illustrissimus autem p. m. Episcopus Chelmensis tum Pragæ erat Protestantibus reditum actu suadens, cùm non expectato reditu suo ac aliorum, qui ipsi adjuncti erant, violenta impositio illa, machinarum bellicarum repetitis fulminibus publicaretur. Imò à nonnullis fide dignissimis Viris asseritur nec Illustrissimum Episcopum Kijoviæ actui illi interfuisse, sed audito Varsaviæ reboatu tormentorum tum demum ad Campum festinâsse Quid itaque de Testibus his sentiendum est, qui vel ipsi violentiam factionis adjuvârunt; vel Protestantes, ut dato consensu suo redirent, invitârunt; vel in Campo Electorali non adfuerunt, remque prout acta est non viderunt, Protestationes, & Contradictiones tot Procerum, & Nobilium audierunt, vel non ignorarunt; ac omnia violenter acta fuisse viderunt; nihilominus tamen Electionis & Nominationis actum liberè unanimiter, nemine contradicente expeditum fuisse, sub fide, honore, & conscientia, audacter testantur, & fabulam illam de Nobili *Kaminski* recoqvunt, ac si in Campo Electorali omnes præsentes fuissent, cujusvis judicio relinquo; tum an *Stanislaus Leßczynski* tot Constitutionibus pro hoste Patriæ, & in ævum ineligibili declaratus, nec hujus maculæ, & æviternæ incapacitatis aliquam abolitionem habens per violata jura legesque præpotentiâ Primatis, aliorumque factiosorum obtrusus: an Serenissimus AVGVSTVS Tertius, liberrimis suffragiis Electoris Populi, juxta Leges & Constitutiones ritè, legitimè, & concorditer Electus, & Nominatus, ad Thronum Poloniæ potior sit.

206

21

~~Leszczyński Stanislaus~~

~~et~~

~~Augustus III. Pol. R.~~

~~N. N. Falsitas narrationis de electione~~

~~Stanislai Lesczynii et Augusti III.~~